



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 33. Patrum querelæ adversus Legatos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI.

A.C. 1546.

§. XXXIII.

Patrum querelæ adversus Legatos.*Pallav. c. 2.*
n. 10.

Equidem summus Pontifex jus suum, quo se Synodo superiorem esse contendit, immotum servare studiosissimum erat, nec segnius tamen erat Episcoporum studium, quo suam contra Legatos auctoritatem tueri nitebantur; eo enim devenerant, ut palam quererentur, quod Legati haud consultis Synodi Patribus quemdam a Mendoza Cæsareæ Majestatis suæ Legato Deputatum recens admittum excepissent, ejusque literas absque Patrum consensu in prima Sessione aperuissent. Verum Montanus Cardinalis ad ejusmodi querelas in generali cœtu respondens ita perorabat: *Haud parum obstupesco, quod in controversiam vocetur, utrum Præsidibus liceat literas, legationesque cujusvis excipere, eo fine, ut illæ postmodum ad Concilium referantur, ibidemque de responsis ex Patrum sententiis de-*

Plurimum valuit ad Gallos ab incepto dimovendos communis Ecclesiæ consuetudo, quæ sacrosancto Parasceves die nullius profani Principis præter Cæsarem in publicis precationibus mentionem facit. Hæc Pallavicinus non ex suo cerebro, sed ex epistola Cervini ad Farnesium 9. Januarii anno 1546. data comprobatur.

liberetur. His addidit: *Cum experimento* Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
pariter compertum sit, in ferendis ac post-
modum enumerandis suffragiis confusus agi,
hinc Legati tribus ex antiquissimis Episcopo-
rum unacum Pighino Romanæ Rotæ Audi-
tore negotium dederunt, ut suffragia collige-
rent, si vero adeo tenuis quidem functionis
administratio non præteriret absque tam acri
Patrum querimonia, satius nos Legati du-
cemus, eam quoque revocandam. Postquam
 vero prælectum fuerat Pontificis Diplo-
 ma, quo Papa Episcopis in Synodo
 congregatis decimas condonabat, pauci
 quidam mustitabant, contendentes, quod
 fatius fuisset, si per ipsammet Synodum
 ab hoc onere fuissent exempti, alii econ-
 tra hoc Pontificis privilegium ad suos
 etiam domesticos extendi rogarunt.
 Idem quoque sibi indulgeri petebant su-
 premi Religiosorum Ordinum Præsides,
 nec minus omnes, quotquot huic Con-
 cilio intererant, licet Episcopali digni-
 tate non fulgerent, hanc tamen gratiam
 pariter suis familiis concedi postulabant.
 Horum preces edoctus Pontifex, Epi-
 scoporum postulatis minime annuit, Re-
 ligiosis vero hunc favorem penitus non
 denegavit, de ceteris autem tum nihil
 decretum fuit.